Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ad nostram usque intelligentiam participationemque se transfundit. Mens uero
humana eisdem rursum gradibus ad superna conscendens. clara diuini elo
quii inspectione celestia secreta. et eam que in angelis est diuine claritatis
illuminationem perpendit. ex qua paulatim in inuisibilium agnitionem sue
crescens ad ipsum tandem summi luminis splendorem contemplandum
conualescit. et fit quod in principio dictum est quia unum lumen ad multa il
luminanda se diuidit. ut illuminata omnia ad unius claritatis as
pectum similitudinemque reformet. Propterea cognita ex sacris diuini
eloquii traditionibus celestium spirituum claritate. qualiter hanc cognitio
nem summi luminis contemplatio subsequatur ostendit dicens. Et
principalem et super principalem diuini patris claritatem. que angelorum nobis in
figuratis symbolis manifestat beatissimas ierarchias. inmateria
libus et intrementibus oculis mentis recipientes. Ordo uerborum est. Nos
recipientes claritatem diuini patris principalem et super principalem oculis
mentis. inmaterialibus et intrementibus. que claritas manifestat nobis
beatissimas ierarchias angelorum in figuratis symbolis. tamen ex
ipsa in simplum suum restituimur radium. Recipientes inquam clarita
tem patris restituimur. id est reformamur tamen. hoc est reductiue conuersi
ad id unde uenimus in simplum eius radium. ut in uno lumine uniuer
simus. qui lucemus ex lumine uno. et non sit discrepantia lucentium. sicut
diuersitas luminum non est ulla. Claritas autem patris principalis et super
principalis dicitur. quia non solum dignitate uel causa lucentibus omnibus
Nota superior est. sed etiam excelsior natura. Et hec claritas non quia corporalis.
sed spiritualis est et spiritualiter lucet. ideo non nisi inmaterialibus tantum id est
incorporalibus et spiritualibus oculis uideri potest. Quos oculos etiam intre
mentes. id est sanos et perspicaces. et irreuerberatos esse necesse est. ne lippi
enti acie tamen lumen intuentes. tenebras sibi ex ipsa claritate
inducant. Tertio autem post claritatem angelorum per sacra eloquia contemplatam